

# IOACHIMI VADIANI HELVE

TII, IN CATECHESIM, ET SVOS IN POMPONI  
VM MELAM COMMENTARIOS  
PRAEFATIO.



Vm alijs illustrium doctrinarum professoribus aetate nostra gratiam habere studiosi debent, tum vero maxime de illis bene sentire, qui omni studio, cura, diligentia in hoc negociū incubuerunt, vt veterū scriptorum, quorū ductu, et velut auspicijs proximum seculum in linguarū cultu, & mansuetiorū literarum tractatione felix agere stipendiū cœpit, tanquā postliminio reuersa doctrinæ monumēta, a dira barbariei seruitute vindicarent, & innumeris absterfis maculis, redintegrata veritate, pristino nitore, quoad fieri posset restituerēt. Equidē sic sentio nō multū illorū doctrinā sine horū industria nobis profutura fuisse: partim, quod flagitiorum alienę culpę contagionē, velut ab ægris in nostra trāsmittere, & deformem ignorantia doctrinæ, ac eruditionis prætextu sic imponētem, amplecti magno dispendio nos contigisset: partim etiam, quod in vindicandis augendisq; literarum studijs viam illi posteris indicassent, animatis qui sequerentur, & mirabili quadam constantia, nec impari felicitate reiectis, & consternatis, qui barbariē noctem, atq; infantie tenebras contumaciter retinentes, optimarum disciplinarum occasiones arripere noluerent. Quorum conferta acies, cum hodieq; numero magis, quam armorum delectu instructa mansuetiores literas, & ingenua studia oppugnare non desinat, veteranorum tamen, & triariorū (hos ego illos nominibus censeo) singulari prudentia, & fortitudine factum videmus, vt inermem hanc turbam, si quis recentiorū non vlla graui armatura, sed leui tantum calamo in fugam conuersam sternat, fodiatq; ne ouare quidem velit, nedum triumphus vt decernatur petere. Adeo ignauus esse hostis cœpit, qui fœda barbariei castra, infami conductus mercede, contra præsentis seculi lucē, & tacitum bonorum consensum, sequitur. Vt interim ne dicam quid, quātumue doctissimis illis reipub, literarię moderatoribus, eorū nomine, quos velut in acie ciuicam coronam meriti, seruarunt, debeamus. Iam in T. Liuium temporum feritate sauium esse scimus: & frequentibus barbarissimorum eruptionibus mutili Curtius, Gellius, & Marcellinus, vt paucos tantum nominem, facti sunt: nobilissimis interim latinorum, M. Varone, & Trogo Pompeio in prima statim acie sacrilegis horum manibus confectis, qui Liuius ne nomen quidē, nedum vitam residuam esse volebant, nemine, quod mireris, strenuorū, qui propius pugnant, non saucio. Nam C. Plinij varium & ingens de historia nature opus, tot vlcera mendis, tot cicatricum nœuis oblitum, interuersum, adulteratum fuisse fidem non capiebat, nisi in tenui & plane Vlyssæo Pomponij Melę terra marique iactati, & nihil non experti scriptoris corpore sculo, tercentum loca post infamem illam pugnam reperta fuissent: quę partim purulenta coaluerant, partim exesa tabo marcorem in reliquum traxerant corpus, præsentem haud dubie veneno classici authorē confectura, si non Hermolaum illū Barbarum, quē Plinianę valetudinis Aesculapium vocare soleo ad vlciscendā barbariem, & Pomponium etiā ex integro curandū, literarū miserta demū fata destinassent. Ac de Plin. quidē, qđ ad præsens institutū attinet, fatētur eruditi nō solū inesse ei quod Hermolao debeatur, verū etiam ingenuo exēplo viam quandā, & modū ab hoc doctissimo viro præscriptū esse, quo in alijs æstimandis, quę ille aut consulto præterisset, aut in festino, vt fit, labore videre nequierit, pari candore, grauitate, & iudicio posteritas vteretur. At mihi quidem nuper Pomponiū interpretato, incomparabili eruditione sua ita præiuit, vt paucissimis in locis, & quos volentē transiluisse, rectius quam nō aduertisse credas emendandi, ac restituēdi laborem reliquerit. Equidē vt consilij nostri rationē studiosis expediā, & quid Hermolao vel Pōponij nomine debeamus ostendam, præclarū illum de orbis situ scriptorem, cōmentati onibus nostris onustū, in lucem & studiosę iuuentutis Germanicę manus exire hac tantum causa volebam, vt studio bonarum literarū, quod paucos intra annos incredibili doctrinarū accessione amplecti illa cœpisset, locorū terrę notitiā, cœli ratiōe adhibita, quā Cosmographiā appellant, potissime coniungeret, gustu inde libato, quo velut hilariori in symposio delectata: mox ad ea quibus vberior inesse doctrinarum haustus credere, sine labore promoueret, & ad vniuersam rem literariā tractandā habilior fieret. Est enim, vt equidē sentio, secundū studia illa, quę ad religionē, & pietatē attinent, & hominē illius, qđ Græci dixerunt, *ἡρώδης ἑραυρόμ*, cōmonent: quibus certe omnia debemus, regia ad perdiscendā Philosophiā, & ipsas nature opes noscendas via, si huic discipline innixi, terrarū sitū, marium flexus, amniū decursus, montiū tractus, ciuitatū, populorū, gentiū ritus, mores, ingenia, denique & animalium effigies, naturā, discrimina, duce Geographia, quę hæc fere vniuersa secum trahit, & cœlum etiam ambit cōmoda ad vsum vitę ratione perdisceremus. Qua itidem causa adducti sumus, vt locis Melę non paucis (omnibus nō potuimus) ex illustriū scriptorum consensu indicato lucē daremus. Et fatemur difficultate, vt id ageremus rarius coactos fuisse: hoc magis spectabat animus, vt celebriū authorū testimonijs, haud quidem omnibus, sed præcipuis tantū (famā ex lectiōe nō libebat aucupari)

Barbarorū  
acies iermis

Hermolao  
laus.

Quo cōsilio  
in Melā Vadi-  
dianus scrip-  
serit.



P R A E F A T I O.

bat aucupari) adductis, ipso velut in limine ostenderemus, quid de alijs auida literarū iuuentus sperare posset, si his deuoratis fatiari vellet. Qua occasione & Mele fidem, opinor, non segniter adiuramus, & obiter in transcurso, quantum equidem obseruare potuerim, quae consona Mele sententiae, rursusque dissona forent, prodidimus, modumque dedimus illo contendendi, quo equidem nondum perueni. Quibus & id accessit, quod subobscuri passim loci poetarū explicati sunt, & interim Pliniana quaedam in quaestionem vocata, minime dissimulato iudicio nostro, quod utique liberum, candidumque, tantum abest, ut cuiusquam nominis authoritati mancipare voluerim, ut cum Philoxeno illo, cuius ad Atticum Cic. meminit, in carcerem redire malim, quam in veritate perquirenda, & bonis studijs iuuandis praeruaricatus videri cuiquam possim, ea de causa vel a Mele dissentire ausi. Quamquam ne in hoc quidem studio id egimus, ut venditasse diligentiam, & nomen doctrinae ostentasse obiscere quisquam possit, adeo candide nimirum testati, cessuros nos meliora prodeuntibus: proinde & in ea nos pariter opera futuros, ut capterentur, traducantur, & indigna fide fiant, quae incautius, aut praesidentius admissa, indicare natius argumentis non praemolestus, nec odio denigratus censor perrexit. Equidem nec stomacho quicquam, nec odio dedicandae praeterea, & citra oblatrandi studium quae digna annotatione visa sunt, protuli. Atque utinam mihi ad aequanimitatem (quod citra iactantiam dictum velim) propenso, id aliquorum diligentia praestitisset, ut probare plerumque magis, quam improbare potuissem. Iam illud nouum non est, sentire tecum illis non posse, qui quae tractes argumentum, aut non intelligunt, aut nae intelligendo faciunt, ut nihil intelligant, velut est apud Terent. diuersa interim sentientes, & praesto supercilio despicientes quae doctores: quorum morosissimam obstinaciam, & obstinatissimam morositatem, ne illi quidem aequo tulerint animo, qui verisipelli astutia, verum falsumque, dummodo rei interim priuatae non desint, iuxta aestimare assolent. Comperta autem vel coram, vel aliorum relatione diligentissime perquisita, redditaque, quae priores mentem non attigerunt, sicubi bona fide nostris infulsimus, aequo velim animo studiosi accipiant, interminam esse naturae opulentiam cogitando, quae certe non vna aliqua ratione, nec ab vno, ne dicam ab omnibus, tradi literis, & memoriae possit. Etenim par erga ad pietatem & religionem attinetia, quibus testari obiter, quam ab Ethnicorum vanis persuasionibus abessemus, volumus, credo iuuentuti non tam frugifera, quam amena futura. Erat enim iam pridem in votis, ut sicubi non importune videremur, varietati, quae fatietatis expultrix est, studeremus: & ante alia (quod pauci e nostris solent) Christianum negocium in Ethnicorum profitendis libris exprimeremus, aliubi monitis lectoribus, ne quod illi traderent, temere sequerentur: praeterea quem in usum omnium bonarum artium peritia posset, imo vero deberet accommodari, spectatae indolis adolescentibus vno & altero in loco nobilium authorum testimonijs adductis, & frugifera, ut sic dicam, versura facta, innueremus. Porro ne quis me in his Commentarijs nostris gloriola quaerere, & me ipsum velut in machaera (quod aiunt) Peleum quendam demirari existimet, doctissimorum quorumque literarum professorum censurae acquiescam: nec dubitabo stilum vertere, si quid horum iudicium mutandum eliminandumue decreuerit. Didici enim eatenus literarum honori, quo penes me nihil antiquius est, hunc locum cedere, sciens verisimiam esse, non iudicium, si sua retinere, & defendere quis malit, quam alienis acquiescere, dummodo intelligat patrocinio se bonorum carere, & esse quod alij melius dixerint. Tumultuarios autem labores, quos nuper auctis plerisque, & emendatis pro meo iure recognoui, in prima editione nostra Francisco Abbati apud ditium Gallum, Antistiti non temnendo adscribendos esse duxi, ut simul & verendi patroni auspicio prodirent, & alieni magis, quam nostri nominis authoritate seruarentur. Quo consilio meo cum male profecissem, statui alia via vitiligatoribus obsistere, si iniqui esse deum non desierint. Porro magnam horum partem surda aure transmittam, qui corrupto iudicio, & tumida iactatione non alia causa nostra obtrechtant, quam quod citra etiam riualem nimis impetum sua deamant: ad hanc nimirum operam nati, ut cassum, frivolumque buccis, ut ille ait, crepitantibus deblatterent. Satis superque operae precium responderit, si bonorum ex estimatione hac quantula cumque sedulitate nostra iuuentuti Germanicae aliqua saltem parte profuisse dicar. Nam candidus purusque, quod locis prope omnibus integritati suae redditis Pomponius iamdudum studiosorum manibus versatus est, non mihi debetur, sed eximio illi mansuetiorum literarum redintegratori, qui nos praeriuuit, qui que iuuuit Hermolao.

Franciscus  
Abbas.

IOACHIMI